



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011857X

§. 93. Cardinalis Sanctacrucius in Papam electus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

Sæcul. XVI.
A.C. 1555

§. XCIII.

Cardinalis Sanctacrucius in Papam electus.

*Pallav. hist.
Conc. Trid.
l. 13. c. 11.*

*Raynald.
n. 13.
comm. l. 27.
n. 10.*

Ab illo temporis articulo Camerarius, ejusque amici rem aperte agere cæperant, Galli tamen conventu inter se habito cæterorum sententiæ sese opponere adlaborabant, vano licet successu; cuncta enim eorum consilia in irritum cecidere, eo quod una omnes in Sanctacrucium consentirent, quinimo ipsemet etiam Chietus, cui Gallorum nonnulli suffragabantur, Sanctacrucium in suo cubili convenerat, atque eidem suum suffragium obtulerat, quamvis Cardinalis Michael Sarrazinus ejusdem cognatus, quem hanc in rem ad eum decernebat, hanc ei propositionem facere non auderet. Ceterum ad hanc Sanctacrucii electionem plures variis ex rationibus inducebantur, præcipue tamen ad id permovebantur quamplurimi, ut Ferrariensis, & Mantuanus excluderentur: ceterum quomodocunque res se habuerit, id negari nequit, a Camerario, & Cardinale Sancti Angeli fuisse sancitum, ut Mantuanus, & Tridentinus Sanctacrucium Cardinalem in suo cubili convenirent, indeque eum ad Sacellum deducerent, ubi etiam unanimi omnium suffragio die nona Aprilis

lis in summum Pontificem eligebatur. Interim cum eum jamjam folio imponere pararent, tempestive Medicæus Cardinalis, qui eidem amicitiae fœdere junctus erat, antea ritus a summis Pontificibus præscriptos esse observandos admonebat, atque idipsum singuli suo comprobabant suffragio: unde Caraffa Cardinalis sacri Collegii Decanus eundem alta voce tanquam Pontificem proclamabat, ceterique omnes suo quisque ordine idem præstabant, quibus peractis Sanctacrucius recens electus latino sermone Purpuratorum Collegium allocutus exponebat, quod, quamvis muneri sibi imposto longe impar esset, nihilominus, ut omnes obtentæ dignitatis partes expleret, totis viribus ad laborare vellet, exuendo præcipue omnem privatum affectum, ac nonnisi publicam salutem respiciendo.

§. XCIV.

Marcelli II. nomen a Sanctacrucio assumptum.

Alterâ die decima Aprilis re divina pro more peracta Sanctacrucii electio confirmabatur; neoelectus vero Pontifex, qui prius Marcellus Cervinus vocabatur, non mutato nomine suo Marcellus II. appellari voluit. Is natus erat Fani, seu Montis-Fani, quod ditionis

L 5 Eccle-

Sæcul. XVI.
A C. 1555.

Pallav. n. 2.
Spond. hoc
ann. n. 6.
Ciac. p. 798.